

Agnosco rerum dominos gentem que togatam Se il franceze che sbagliò ne'l reprehendere questo *hic*, avesse tenuto a mente virgilio come fa vostra beatitudine, havrebbe potuto citare un verso (ben'addattato al presente tempo,) nel quale la parola *hic* e breve e longa insieme, quel bel verso mi parve un presagio dei favori a me conferiti dalla Sua beneficenza, eccolo *hic vir hic est, tibi quem promitti sepius audis* così Roma doveva gridare quando fu esaltato Benedetto decimo quarto

le baccio con ogni humilita e riconoscimento i santissimi piedi
di vostra Santita

humil^{mo} devot^{mo}

ed osseq^{mo}

Servo Voltaire

El original ibid. 239, 331.

Es preciso hacer una observación referente a la carta del Papa al cardenal Tencin del 9 de febrero de 1746 (Heeckeren, I, 246), especialmente si se la confronta con el Breve del 15 de septiembre de 1745, en el cual se dice que el «Mahommed» fué presentado por Passionei. Si Passionei entregó otra carta con el «Mahommed» es dudoso. De ello no se conservan vestigios en el Archivo. Las palabras pueden referirse a la carta del 17 de agosto, aunque también a otra carta perdida, de contenido igual a la que nos ofrece Heeckeren, y que probablemente pudo ser regalada por el Papa.

6. Documentos sobre los ritos malabares (1)

a) Atestado del arzobispo de Cranganor

Ioannes (Luiz) Episcopus, Archiepiscopus electus Cranganorensis, per praesentes literas, fidem facimus, et attestamur, quatenus, iuxta iuramentum a nobis emissum ante nostram consecrationem, curavimus, an omnes Missionarii, qui nostra in Dioecesi sunt, observarent, necne, Decreta Apostolica circa Ritus Malabaricos, ad Nos misisse Missionarios iuramenta uniuscuiusque manu propria subscripta, quae cum hac nostra attestazione per manus Rmi. D. Praepositi Generalis Societatis Iesu, Patris Nostri, transmittimus, et offerimus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, ad effectum praesentandi S^{mo} D^{no} N^{ro}.

Cum autem specialiter circa cuiuslibet Decreti observantiam Sanctitati suae rationem reddere necessum sit, acceptis testimoniis Catechistarum, et aliorum in Missionibus, Madurensi, et Mayssurensi nostrae Dioecesis, etiam determinate attestamur sequentia. 1. In collatione Baptismi tam pueris, quam adultis nullum Missionariorum omittre Sacramentalia, palamque adhibere salivam, salem, et insufflationem, ac

(1) Cf. anteriormente la página 398 y siguientes.

in casu aliquo pronunc non uti Dispensatione. Necnon semper imponi baptisando nomen alicuius Sancti, ac nunquam nomen Idoli, vel falsi Paenitentis. Neque etiam Crucis, Sanctorum et rerum sacrarum nomina immutare, et explicare, nisi Latinae significationi liquido respondeant, vel etiam latino idiomate. Utuntur autem ab initio Missionis nomine Chaldaico, nempe «zeliva» et dicunt «xilivei» pro Cruce. Si incuria parentum infantes intra praefixum a Missionariis tempus ad ecclesiam non deferant baptisandos, illos aliqua poena afficere. 2. Matrimonia ante aetatem a Sacro Concilio Tridentino praescriptam Missionarios fieri non permittere, si quaedam, ipsis insciis, fuerint, cohabitationem prohibere, donec completa legitima aetate, et explorato consensu, in faciem ecclesiae, matrimonium validum contrahant. Christianas mulieres, reiecto priori Tally, tesseram nuptialem signo Sanctissimae Crucis ornatam, absque funiculo centum et octo filis composito, collo appendere; si aliquod dubium circa Tally intervenerit, a Missionariis ab ingressu ecclesiae prohiberi, donec dubium cum fractione Tally deponatur. Caeremonias nuptiales superstitione maculatas, adhibita diligentia, omnino prohiberi cum assistentia alicuius Catechistae; nec fructum vulgo Cocco, neque secreto, neque publice frangi, at a Christianorum nuptiis omnino reiectum. Si Catechista alter, circa praescriptum in aliquo deficiat, ab officio arceri. 3. Missionarios omnes, nec per se ipsos, nec per Catechistas, nec per alios quoscumque mulieribus menstruali morbo laborantibus prohibere accessum ad ecclesiam, vel ad Confessarium, vel ad Sacram Communionem, neque etiam permittere festum etc. pro prima purgatione puellis contingente sub titulo menstrui. 4. Sufficientem numerum Missionariorum pro Pareis deputatum esse, eosque eorundem domos, ubi aegrotant, petere, Sacramentisque munire. Sunt alii infimi generis homines dicti «Paler» qui in Missionis Mayssuriensi nullo modo se immiscent cum Pareis: fere duo millia sunt huius sortis Christiani, qui a Missionariis pro Pareis, horum ministerio utentibus, facta omni possibili diligentia, nolunt adhuc recipere Sacramenta, a Nobilibus vero Missionariis prompto animo accipere statuunt; ne illos omni spe privatos relinquere sinamus, Antecessor noster sanxit nobilibus Missionarios illorum curam agere, donec Sancta Sedes, quam de hac re certiore reddidit, aliter eorum Saluti provideat. 5. Christianos tibicines, et alios, si operam praestent in idolorum pagodis et festivitibus, ab ecclesia expelli, donec ex corde resipiscant, et poenitentiam agant. 6. Missionarios omnes non uti lavacris, nisi ad corporis munditiam, et sanitatem, non statutis horis. 7. Christianos non uti cineribus ex vaccae stercore confectis, nec signis superstitiosis, neque Missionarios cineres benedicere, nisi feria quarta Cinerum. 8. Cura Missionariorum, Christianos fabulosos gentilium Libros non retinere, illorumque lectionem audire prohiberi.

Haec omnia ex testimoniis acceptis, quae cum veridica absque ulla formidine iudicemus, praeterquam quod, cum etiam per nosmetipsos lingua eorum discriminatim inquirentes, post Constitutionem S^{mi} Dⁿⁱ

N^{ri} Benedicti XIV. quae incipit «Omnium sollicitudinum» pro tunc Visitoris munus agentes in Missione Madurensi, atque etiam per Missionem Mayssurensem iter facientes, ita custodiri inspeximus, et cognoverimus, in praesentiarum supradictis in Missionibus observari attestamur.

Datis Malabariae apud Nostram ecclesiam Syriacam Puttenchensem, die 4^a Novembris Anno Millesimo Septingentesimo quinquagesimo tertio. Sub nostro signo, et sigillo.

Ioannes Ep. Archiep. el. Cranganoren.
Alvarus Cardoso Secretarius.

En poder de los jesuitas, Goa, 52 s., 264.

b) *Testimonio del misionero jesuita Gastón Coeurdoux (1)*

Missam a Paternitate vestra novam constitutionem «Omnium sollicitudinum» omnimoda submissione et veneratione accepimus. Optandum foret ut tandem via Episcoporum legitima, post scilicet duos annos a quibus Romae aedita fuit, ad nos perveniret. Praesens bellum, locorum distantia, difficultas itinerum his regionibus maxima, mors Episcopi Mailapurensis, obstitere quatenus nobis intimaretur ab Episcopis, quod tamen post breve tempus fiet, ut aiunt, quod non impedivit quin eius executioni incumberemus, faciendo etiam plus quam iubetur, nostro more.

1^o Etiam si non spectet ad hanc urbem Gallicam Pondicherry, utpote sitam extra tres celebres Missiones Carnatensem, Mayssurensem, Madurensis, sic egimus respective ad Pareas: conveniunt scilicet hic in magna Ecclesiae capella iuxta altare maius, ita ut capella illa sit pars Ecclesiae, imo et Sanctuarii. Capella illa separatur a reliqua Ecclesia mensa Communionis simplici in uno latere, ex alio clathris quibusdam ad normam mensae Communionis cum porta qua daretur transitus ex hac Capella in reliquam Ecclesiae partem, eo scilicet modo quo Cardinalis Turnonius, dum in illa domo versaretur, fieri curaverat, ut testantur eius litterae typis mandatae: haec ultima clathra eorumque portam auferri mandavi. Quae licet paulatim facta sint, non leve tamen damnum secutum est, defectio catechumenorum, Christianorum Xutrum Rebellio, conventus, absentia ab Ecclesia, aliaque innumera scandala, quibus mederi non potuerunt nec exhortationes nostrae et preces, nec minae nec ipsa Gubernatoris autoritas, a quo, me insinuante, praecipui tumultus authores in carcerem missi sunt. Pacati tamen sunt animi post duos menses, hac unica de causa quod Parei ex seipsis, semper ut antea, in locum sibi destinatum convenirent, si paucos excipias, idque tum ex consuetudine tum ut gratum facerent nobilioribus quorum auxi-

(1) Sobre él cf. Max Müller, *Die Wissenschaft der Sprache*, I, Leipzig, 1892, 209 s.

lio, protectione, eleemosinis indigent. Hoc autem unum Xutros exasperat, quod a Gentibus tum consanguineis, tum superioribus sibi, quorum ope perpetuo indigent, exprobraretur, Christianos a legibus paternis, a patria, a casta sive tribu defecisse, factos esse Pareas, atque sic habendos esse in usu vitae civilis, et reipsa sic haberentur. Numerus autem illorum Xutrorum istius Parochiae accedere videtur ad quatuor millia. Res autem nota est, in ista Francide [?] Ecclesia prae caeteris istius orae, vigere pietatem morumque innocentiam, et caeteris afferri in exemplum. Verum suarum legum, consuetudinum, nobilitatisque tenaces sunt, ut nos nostrarum. Debuissim, inquiet Paternitas vestra, expectare publicationem ab Ordinario faciendam! Tales moras non passa est obedientia nostra, cum autem ex se ipsis Parei in locum sibi a Cardinali Turnonio destinatum conveniant et a nullo arceantur ab Ecclesiae caeteris partibus, id tamen adhuc displicet invidis: quapropter facta dicta publicatione rem omnem vicario Generali dioecesis (mortuus est enim Episcopus) exponam fuse, et quidquid ille iusserit, mandabitur executioni; sive iubeat ut absque levissima separatione, omnes promiscue sedeant, sive iubeat, ut vel in urbe Gallica ad normam ultimi decreti, aliquis specialiter procurandis Pareis destinetur. Ab aemulis autem scribetur Romam supradictum scandalum nobis authoribus secretoque procurantibus ortum fuisse: verum procul dubio tacebunt se mendacii et calumniae in faciem convictos fuisse.

2^o Quod spectat ad Missionem, scripsi olim eam esse bipartitam, partem a lingua Tamulicam dici, aliam ultra montes positam, dici Telougou a linguae nomine. In priori parte plurimi sunt Pareas; in altera rari. Ut igitur executioni mandaretur nova constitutio, etiam ante eius tum promulgationem tum intimationem faciendam ab Episcopis (quod tamen in posterum non fiet si nova supervenirent mandata) convenimus quotquot aderant patres; lecta et relecta attente quae de novo iubentur circa Pareas; praecipue deliberatum de modo quo facilius et absque tumultu et scandalo res posset fieri: in hoc consilium plurimi devenere, caeteris minus probantibus, ut scilicet duo simul iungerentur Missionarii; unus qui Xutris, alter qui Pareis operam daret, uterque Missionarius eadem domo et mensa uteretur, alter in solito templo functiones suas exerceret, alter idem praestaret pro Pareis in alio loco iis solis destinato et in Ecclesiam converso. Tentatum est, verum nondum absoluta media parte visitationis Temulicarum Ecclesiarum, revocandi fuerunt Missionarii duo ad hanc visitationem deputati ob inconvenientia et incommoda prius [?] agenda rationis. Supersedimus igitur per aliquod tempus, sperantes, nobis ab Episcopis locorum tutam nobis certamque viam ostendendam esse, qua inoffenso pede incederemus. Cum autem nondum ad Episcopatum Mailapurensis nova pervenerit Constitutio, iterum a nobis initum consilium novusque initus agendi modus. Tres erant Xutris destinati Missionarii iuxta novum systema. Missionarii in regione Tamulica, duo Pareis destinati, quorum unus dictus P. Ioannes Bapt. Martin, alter Ioannes Pelissier, imo et tertius addetur

fortasse prout aderunt tum pecuniae, tum Missionarii. Iuxta novum systema Missionariis quibusque suis locus, suae domus, suae Ecclesiae separatae. Difficultas maxima, ex superbis et inimicis Gentilibus aut Mahometanis nova loca ad novas Ecclesias, praecipue Pareis aedificandas, obtinere: res enim illis videtur ridicula et mala. Hinc ex una parte optima Ecclesiarum Pareis concessa, obtenta prius Gentilis Principis facultate non nisi difficultate et probris, alibique aedificata Ecclesia pro Xutris. In quibusdam locis facultas omnino denegata, in alio concessa, alibi concessa et postea revocata: sic non sine angustiis et difficultatibus undique exurgentibus nova mandata exequimur, fidentes, tum Summi Pontificis precibus tum Paternitatis Vestrae totiusque Societatis. Spes est, antequam annus integer elabatur, opus consummandum esse. Verum de illius stabilitate, eiusque ad faciliorem populorum conversionem utilitate sponsor nolim esse. Iubemur, obtemperamus, hoc nobis sufficiat, imo plus quam iubemur, praestamus pro nostro more. Praeterquam quod enim duo supra appellati Missionarii domos publice Pareorum ingrediantur etc., statutum est idem etiam praestandum ab aliis, qui Xutris solis destinati sunt, quando Parei aegrotarent graviter et abesset Missionarius Pareorum. Quod tamen praestabunt quando aliter fieri non possit absque aegrotantis incommodo, idque secreto, si fieri possit, publice autem, si aliter fieri non possit: tandem si aliquoties sacramenta administranda essent Pareis ad Ecclesiam Christianorum accedentibus, iussum est, ut iuxta Sanctuarium brevis aliqua Capella construat, ubi supradicti Parei recipiant sacramenta vel in Xutorum Ecclesia, idque factum inhaerendo vestigiis Cardinalis Turnonii, ut supra dictum est.

Talia autem nec tanta praescribit nova constitutio. Haec de Missionem Tamulica sola intelligenda.

3° Nunc sermo sit de regione dicta Telougou. Vix ad illam spectant nova de Pareis mandata; ratio est, quia Parei vel etiam Gentiles rari sunt in dicta regione, in una Ecclesia duo, in alia quatuor, in alia viginti, in plerisque ne unus quidem, idque in plerisque locis absque spe novos ad fidem convertendi. Vanum igitur, imo malum foret, eiusmodi paucissimis hominibus peculiare Missionarios destinare. Verum hic etiam plus quam iubet Summus Pontifex quodque summe expectat faciemus. In eodem templo coniungentur cum Christianis nobilioribus, eodem, quo supra diximus, modo iussum et factum (1) a Cardinale ipso Turnonio. Sacramenta autem iisdem graviter aegrotantibus Pareis administrabuntur a Christianorum Missionariis in Pareorum domibus quando necessitas id exiget, fietque secreto, si potest, et publice, si non potest. Speramusque tum ex divina bonitate tum ex eo quod tam despecti non sint in dicta regione Parei, quam in aliis regionibus, nullam inde eventuram persecutionem. Verum fateri necesse est, non parum et a nobis et a religione alienos fieri Gentiles ubique, dum mores et leges regionis a nobis tam parvi fieri intelligunt. Hinc etiam intelliget

(1) lies: iusso et facto?

Paternitas Vestra, quam difficile sit Romae statuere leges universas pro totis Indiis, cum regio sit vasta moresque diversi et diversae linguae.

4° De usu salivae in Baptismo: fere omnibus administratur istud sacramentale, et post breve tempus omnibus administrabitur. Claram petiere responsionem Episcopi, advenit, sufficit. Si inde probra in religionem recidant, indeque Gentilibus ridicula et immunda videatur, ut quibusdam in locis fieri coepta est ista occasione, eademque occasione si catechumenorum numerus minuat, iam ad nos non pertinet. Metus autem iniectus Romae ne forte neophyti haberent salivam tanquam materiam ineptam Sacramentali baptismi, nullo modo nos afficit, scientes istorum hominum fidem et ingenium; talem cogitationem cuiquam illorum menti inhaerere ne levis quidem nobis suspicandi locus est.

Horrorem salivae ab illorum animis eripere in baptismi administratione, iniungitur: res est confecta iam diu, si, quando agitur in nova constitutione de ista materia, haec verba «Gentes», «Populi» de neophytis intelligantur, ut credibile est. Si autem, quod non videtur, intelligantur de ipsis etiam gentilibus, fateor hoc et Missionarium omnium vires et meas superare, nec a nobis nec decem nec viginti annorum spatio praestandum tale prodigium. Eodem iure nobis iniungeretur, ut omnes isti ethnici decem annorum spatio a nobis ad fidem convertantur.

5° Iamvero venio ad accusationes contra nos intentatas. 1^a est superbiae, qua tumentes veriti sumus, ignobilium casas subire. Tantamne in Italis Iesuitis experiuntur Romae, ut idem de Gallis istis crederent nobisque publice exprobraretur? de istis superbis haec pauca accipiat Paternitas vestra. a) Qui heri cum Brachmanibus aliisque regionis nobilioribus versabatur familiariter, cras ad oram maritimam accedens adit Pareos subito illorum domos, hortatur, administrat sacramenta etc. b) Novis auditis mandatis, ut scilicet specialiter deputarentur aliqui Pareis procurandis, non solum omnes qui aderant verbo, et qui aberant scripto se ad id munus obtulere, sed orta etiam contentio, illo aetatem, isto vires, alio aliam afferente rationem ut caeteris in hoc munere praeferretur. c) Longe maior pars Christianorum in missione Tamulica est ex gente Pareorum licet a dominis eorum Gentilibus ex aliis causis magnae difficultates sese opponant illorum ad fidem conversioni. d) Quam multae aliae fiunt impensae tum pro Pareorum pauperum sustentatione, tum pro educandis alendisque plurimis catechistis illorum tum conversioni, tum conversorum instructioni destinatis? in hoc Pondicherii brevi territorio septem a nobis aluntur. e) Quoties evenit ut ad duos vel tres dies itineris pergerent Missionarii ut aegrotis sacramenta ministrarent. Haec sunt nostrae superbiae signa, hic est noster gentis Pareorum contemptus. Quod autem Christianos minus bene affici videantur erga Pareos, hoc unum dicam: utinam in Europa servi a Dominis, plebei a proceribus, ruricolae a nobilibus tam bene tractarentur quam illi ab illis! Hic ut in Europa variis inter se gradibus distinguuntur homines.

6° Tria alia sunt, quae ut vera non afferuntur a Summo Pontifice,

sed quae sibi ab aliis Missionariis scripta sunt, ut fert nova constitutio p. 41. Factum bene, quod iam non possimus accusari nisi evidentibus calumniis. Prodeant si audent e tenebris, qui affirmarunt, Mulieres quodam morbo laborantes et a templo et a sacramentis a nobis arceri: dicant a quo, cui mulieri, quo in loco istud evenerit. Non facient certe sordidi simul et impudentissimi calumniatores illi: nos vero quotquot sumus, parati sumus contrarium iuramento affirmare. Idem dicendum de fructu Coco, quem ad vana auguria sumenda frangere dicuntur Christiani nostri matrimonii tempore. Ubi etiam sic factum fuerit ab istis Christianis, dicant illi et probent. Ego vero paratus sum etiam iuramento affirmare me quindecim annorum spatio non modo id permisum aut toleratum a Missionariis, sed etiam a Christianis ipsis patratum ne semel quidem, investigatione facta, audivisse aut deprehendisse. Et hoc igitur putidum est commentum. Quod autem etiam delatum est, nos permittere Christianis mulieribus gestationem Taly a Cardinali Turnonio prohibiti: haec calumnia olim coram loci Ordinario intentata et ab eodem publice lata sententia diluta est anno 1712. Qua fronte iterum renovatur? Nedum permittamus monile illud, si deprehendatur aliqua mulier cum dicta tessera nuptiali, illi eripitur, alio modo fieri curatur vel nostris impensis, ne se paupertatis titulo excusent, fitque iuxta typum ab ipso Cardinale Turnonio datum. Adde et istud factum: occasione istius accusationis duobus Missionariis praecepi, ut disquisitionem facerent circa Taly. Inter octo millia Christianorum quod repertae sunt tesserae reficiendae, quae certe Matrimonii die datae non fuerant? duae tantum. Certe si in tali numero tot in adulterium aut idolatriam ipsam incidisse deprehenderentur, num Missionarium vitio merito vertatur? Porro etiam si de Missionariis Gallis Carnatensibus tantum loquar, utpote mihi subiectis, iudicari potest alios Missionarios esse ab illis calumniis immunes. Nos enim sumus, nos inquam Galli, quos praecipue impetunt plures Noberti: nam inter adversarios nostros alii adhuc reperiuntur libellorum calumniosorum artifices.

7° Minae autem intentatae, nos scilicet post certum tempus in Europam revocandos, parum afficiunt plerosque Missionarios plurimum affectos taedio erga Missionem, et in ea precibus retinendos. Absque tumultu igitur relinquatur, si necessitas aliquando incubuerit. Verum Missiones istae fundatorem habent Regem Christianissimum. illiusque liberalitate sustentantur Missionarii: utrum illo inscio tunc deserendae sint necne, monebit Paternitas Vestra, tunc enim silere aut loqui par videtur esse periculum. Derelictis autem Missionibus tribus Indicis num etiam Goa a Lusitanis aut ista urbs Gallica Pondicherry, aliaeque coloniae Gallicae, ubi more Europeo vivimus, ubi litteris patentibus regiis id praecipientibus domos Ecclesiasque aedificavimus, ubi ex eiusdem Regis nominatione Parochias administramus, an inquam ista omnia statim derelinquenda Europaque repetenda? hoc enim non leves difficultates patitur. Si casus evenerit, Paternitati Vestrae incumbit rebus omnibus rite perpensis monere quid a nobis agendum.

8° Quod autem spectat ad usus indicos hoc de me possum praedicare, me erga illos severiorem esse quam laxiorem. Hinc a) etiam ante ultimae constitutionis adventum nonnullae disquisitiones a me factae sunt et reformationes; b) in rebus a decretis praescriptis plura a nobis quam ab illis prohibentur, nec utimur facultatibus nonnullis ab iisdem decretis concessis; c) plura tum a meis praedecessoribus reformata et a me, quam a decretis quibuscunque, meaque vel ab ipsis adversariis laudata est ut aiunt vigilantia. Num tandem silebunt illi aut calumniari cessabunt? Non certe: testis est novus, qui manuscriptus hic prodiit, libellus, tum in me, tum in Missionarios, tum in ipsam Societatem, quem libellum tribunal saeculare a tortore publico lacerari et flammis dari iussit edicto, ut reipsa factum est. Adeo pessimus et calumniosus visus est vel secularibus ipsis, cuius auctor eiusdem instituti ac famosus Norbertus. Quid effutiisse iudicandus est, nisi quod a suis fratribus centies audierat, eo quo est ingenio praeditus? Caeteri isto minus stulti ac pariter affecti, non publice, ut ille, sed consultius secreto calumniantur ut olim ipsis asserentibus, etiamsi cygnis candidiores corvis ipsis nigriores iudicabimur. Quod sane satis lubenter tolerandum foret, nisi ipse Summus Pontifex erga nos male affectus foret, aut si superbia aliaque eiusmodi exprobrarentur. Verum dum satis clare publica constitutione tanquam refractarii arguimur aut etiam ut idolatriae fautores, ne dicam idolatrae, tunc silere aequumne esset, an non potius scandalosum? Dicam igitur vel coram Summo Pontifice tria in nos impacta et imposita in quibus etiamnum parum dicto audientes pronuntiamur decretis Apostolicis. Asserunt illi, nos negamus. Quibus credendum? credatur probationibus; illas igitur praeferant, detur responsionibus locus, plectamur si rei sumus, si minus, in aeternum obturentur ora loquentium iniqua. Quamdiu nos, qui reipsa portamus pondus diei et aestus, gravius increpabimur, dum indulgetur diem integrum stertentibus? Si Missionarii sunt, ex operibus probent; fuci mel apum comedere norunt, conficere non norunt. Habemus quandam Ecclesiam dictam Pinnepondy a loci nomine: in quodam alio loco dicto Alamparre a supradicta Ecclesia septem leucas distante RR. PP. Capucini novam Ecclesiam aedificant, licet cautum sit, ne in tanta vicinia alterius ordinis Missionarii sedem figant. Videmus et silemus; licet satis praevideamus nostros Christianos ad dictam Ecclesiam advocandos, indeque novis dissidiis locum dandum esse postea. Ex quibus omnibus plane intelliget Paternitas Vestra, quantum Societatis integrae precum subsidio indigeamus quibus, et praecipue Paternitatis Vestrae SS. SS. me et omnes Missionarios Carnatenses commendo.

Paternitatis Vestrae

Pondicherry 20 oct. 1746.

Humillimus et obsequentissimus Servus
Gasto Laurentius Coeurdoux

En poder de los jesuitas, Goa 52, f. 201 ss.